

Anno et 1415 Die 20 Mensis Aprilis.

Ex Cod. Dipl. Dogely.

403.

Littere Sigismundi Romanorum Regis, quibus Factus denuo comprobatur. Datum Constantie Die 20 Mensis Aprilis. Anno 1415 Ex Originali.

89

Sigismundus Dei Gratia Romanorum semper Augustus, et Hungarie Dalmatie, Rama, Servie, Gallacie, Lodomerie, Bulgarieque Rex &c. Significamus tenore presentium quibus expedit universis. Quod cupientes promissum Nostrum Serenissimo Principi Domino Vladislao Regi Poloniae &c. Illustri Fratri nostro charissimo factum efficaciter adimplere, et proit iustum est, ipsum reddere certiore, Litteras Nostras super certis Conclusionibus et Contractibus inter Nos, et ipsum factis, harum serie decrevimus roborandas. Quarum quidem Litterarum tenor sequitur in haec verba: Sigismundus Dei Gratia Romanorum Rex semper Augustus, et Hungarie, Dalmatie, Croatiae, Rama, Servie, Gallacie, Lodomerie, Bulgarieque Rex &c. Recognovimus, et tenore presentium profiteamur Serenissimo Principi Domino Vladislao Regi Poloniae Fratri Nostrum charissimo ad fidem puram, et perfectam servandam Nos per votum iuramenti Ligno Crucis vivifice per Nos tacto corporaliter prestiti obligatum et adstrictum. Quod quidem iuramentum see fidei Sacramentum sibi fecimus, et prestitimus, per formam verborum infrascriptam. Ego Sigismundus Romanorum Rex semper Augustus, et Hungarie Rex &c. Iuro, quod eamene fidem servabo Domino Vladislao Regi Poloniae &c. Fratri Nostrum charissimo, et ipsum semper prosequar sinceris

Facimus

favoribus, et liberos suos legitimos, ac heredes bonum
status, et honoris ipsius procurando, et commoda, ac
profectus ejus ordinando ubilibet, nec unquam ad
obtinenda bona, Regna, Terras Principatus, et
Dominia, que nunc habet, et in futurum habitu-
rus est, volo attendere, vel ad perimendam seu
perdendam vitam ejus, vel mortem sibi procuran-
dam quomodolibet aspirare, aut cogitare, sed ubi-
que mali aliquid, et iniuri de ipso scivero, audivero,
et sensero, ipsum fideliter premuniam, et sibi con-
tra insidias omnium inimicorum suorum firmiter
toto posse assistam, dolo et fraude quibuslibet procul
motus. Cumque ac liberos suos legitimos et heredes
nunquam deseram, imo pro honore et statu
ejus bona, profectus et commoda ipsius tanquam
propria procurabo, erinabo, et disponam, quam-
diu vitam duxero in humanis; Sic me Deus ad-
juvet, et Sancta Crux, Sancta Maria Mater Chri-
sti, et omnes Sancti. Et ut major charitas, certitudo,
atque securitas inter predictos Perenissimos
Principes Dominos Sigismundum Romanorum
et Hungarie, ac Vladislavum Polonia Reges, au-
geatur, et conrescat. Nos Joannes miseracione
Divina Archiepiscopus Strigoniensis, Hermannus Co-
mes Cille et Zagorie. Et Nicolaus de Para Palati-
nus Regni Hungarie promittimus et spondemus,
quod ipsum Dominum Sigismundum Romanorum
et Hungarie Regem Dominum Nostrum gratio-
sum ad hoc tenebimus, et nostris hortationibus
inducemus, quod juramentum suum predicto Domi-
no Vladislao Regi Polonia, cum matura, et bona

deliberato

deliberatione factam, et prestitum in omnibus Articulis
 Clausulis, et Conditionibus tenebit ad tempora sua vi-
 te constanter, et servabit, nec unquam predicto Domi-
 no Sigismundo Regi Romanorum et Hungariae Do-
 mino nostro gratioso hujusmodi contrarium consule-
 mus. Præterea Nos Sigismundus predictus Ro-
 manorum et Hungariae Rex promittimus, quod præ-
 sentes Literas Sigillo Majestatis nostre faciemus
 sigillare, quam cito sculptum fuerit, et paratum.
 Hoc etiam adjungentes, quod Literis illis, in quibus
 post mortem alterius nostri Treuga quinque Anno-
 rum sunt descriptæ, infra quos videri debet, de iusti-
 tia, et jure Procerum pro Terris Rusiæ, et Moldavia,
 seu unum seriem Literarum per Prelatos, et Baro-
 nes utriusq; Regni, Hungariae Sclavoniarum et Poloniae,
 primo in Iglow alio Nomine in Nova Villa, et seun-
 do in antiqua Villa confectarum præjudicare so-
 lumus, aut in aliquo derogare per presentes. Harum
 quibus Sigillum nostrum, quo utimur una cum Si-
 gillis predictorum Venerabilis Archiepiscopi Strigoniën-
 sis, et Magnificorum Comitum Ciliæ, ac Palatini est ap-
 pensum testimonio Literarum. Datum in Liblitz alias
 in Lubowla Sena quarta proxima post Dominicam
 Letare Quadragesimalem. Anno Domini Millesimo
 Quadringentesimo, Duodecimo. Sed quia in his Literis
 Nostris mentio fit de Sigillo nostre Majestatis, cum
 quo ipse Litere debent sigillari, ideo ipsas Literas
 in omnibus earum Articulis, Punctis, Clausulis et Con-
 ditionibus, ratificamus, gratificamus, roboramus, et te-
 nore presentium confirmamus, decernentes ipsas
 robore firmissimum in omnibus punctis, ut prefatur

obtinere

obtinere. Harum quibus Sigillum Maiestatis No-
stre est appensum, testimonio Literarum. Datum Con-
stantie Vicesima Die Mensis Aprilis Anno Domini
Millesimo Quadringentesimo, quincelesimo Regno-
rum Nostrorum Anno Hungarie Vicesimo Nono,
Romanorum vero quinto.